

- Que mens rimari, que lingua retexere posse
 10 Creditur eterni pondera consilii?
 Nos parcendo iuvans, in virga visitat illos,
 Quantus in eximiis, tantus in exiguis.
 Nuper nostra dei tulit etas signa furoris,
 E quibus in medium bina referre libet.
 15 Sede Maguntina docet aule vasta ruina,
 Quam sit apud dominum vana salus hominum.
 Regia namque domus, tenuis dum sibilus aure
 Sero salutatur eam, funditus ipsa ruit.
 Que moles, quod opus, que machina diruit illam?
 20 Nulla profecto: potens ergo manus domini.
 Argumenta petis? fisse quasi fulmine bases,
 Dissiliendo viros octo decemque necant.
 Funera splendorem festi regalis adumbrant,
 Fitque nefanda dies, que modo festa fuit.
 25 Huc invitati perhibent, quante brevitatis
 Sit mundanus honor, hec docet iste dolor.

- Est nova res testis huius, quam posteritati
 Tradere lege metri, postulat utilitas.
 Regulus, antistes, comites, procerumque cohortes
 30 Convenere loco: nomina pretereo,
 Rado loci nomen ob triste quod intulit omen:
 Lugubre mortis opus vel meminisse pudet.
 Turpe genus fati f(atale)que nobilitati
 Complecti calamo sugg(erit hic rat)io.
 35 Causa fuit causeque dies (ostensa) locusque:
 Terminus instat, adest concio nobilium.
 Consedere domo: domus illa vetusta, latrinam
 Subtus habens, senio debilitante trabes.
 Intra primates de federe pacis habendo
 40 Utile consilium ducitur in medium.
 Inveniunt, dum conveniunt pro tempore, pro re:
 Quod reprobant illi, suscipiunt alii.
 Itque reditque frequens ducta per altos
 Magnatum sensus aprobo tale forum.
 45 Iamque loco poscente domus in parte secreta
 Eligitur stacio colloqui studio.
 Eloquar an sileam? mallet transire tacendo,

V. 9 possit Hds. 16 deum Hds. 26 hec domus Hds., was unverständlich ist. Der Schreiber aber braucht das Abkürzungszeichen für us auch für et. 27 'huius' sehr unsicher. 33 die Ergänzung sehr zweifelhaft; ebenso 35. 43 und 44 deutlich, aber fehlerhaft: es fehlt vielleicht mehr als das Metrum verlangt; der Schreiber könnte in einen späteren Vers gerathen sein.